onis siue priorem et cellerarium huius monasterij spanhemensis insti-
*Otto hanox. sen fit celle.*
tuit ottonem monachum presentis loci conuentualem. qui paulo
ante venerat de colonia ex monasterio sancti pantaleonis virum bonum
et mansuetum: qui tamen non diu prefuit in hoc officio: sed in pri-
*Quatuor principes contra palatinum procedentes,*
ore ut postea dicemus fuit per eundem abbatem ordinatus. Anno pro-
tato domine natiuitatis M.cccc.lxij. Carolus marchio de baden. Ge-
orgius eps metensis frater eius. Joannes nix eps spiren. et Udalricus
comes wirtenbergis simul coadunati congregauerunt exercitum
et contra fridericum comitem palatinum procedentes (quem putabant
procul absentem) omnem terram eius una cum oppido mansionis
eius heidelberga in predam sibi promiserunt. In primis ergo hey-
*heydelsheim,*
desheim oppidulum non longe a bruchsal obsidione cinxerunt:
quod ubi palatino fuit nunciatum: heidelsheim personaliter occulte cum
suis intrauit: hostibusque per triduum acriter muros urgentibus
ipse fortiter oppidum defensauit. postridie videntes se preuale-
re non posse soluta obsidione recesserunt mouentes exercitum ad dis-
trictum oppidi heidelbergen nescientes palatinum esse in terra. Existi-
mabant enim (literis quibusdam ut fertur decepti) quod eo tempore
*Bellum principum contra palatinum factum,*
esset extra patriam. Venientes autem prefati principes noctu ad ter-
ra palatini. non procul ab heidelberga exercitum locauerunt. dimis-
sisque in castris peditibus. ipsi cum mille equitibus ad pugnandum
expeditis versus heidelbergam iter paulatim flectere ceperunt.
Interea palatinus tum per exploratores aduentus et intentio adver-
sariorum mane innotuerat. cum septingentis equitibus heidelber-
gam occulte exiuit. cum se Dietherus moguntinus quondam archieps
veniens a casu cum trecentis equitibus coniunxit. Abscondentes autem
*Victor palatinus,*
non longe a seckenheim in nemore palatinenses aduersarios ni-
hil de eorum presentia suspicantes transire permiserunt. quousque
inter renum et neckarum conclusi non amplius fugere potuerunt.
Tunc erumpentes de nemore palatinenses impetum in aduersarios
audacter fecerunt. Acriter utrobique pugnatum est: sed victoria mox
cessit palatino. et maximo honore de aduersarijs suis in illo die
*Quatuor principes capti sunt a palatino fri.*
auxiliante deo triumphauit. Ibi a palatino capti fuerunt. Caro-
lus marchio badensis cum fratre suo Georgio epo metensi, Joannes
nix eps spiren. Udalricus comes wirtenbergen. et quingenti co-
mites nobiles et equites. qui omnes vincti ad heidelbergam perducti

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_964/0280
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG